



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCXXXVII. De Vocatione S. Matthæi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

## MEDITATIO CCXXXVII.

*De Vocatione S. Matthæi.*

Matth. 9. v. 9. Marc. 2. v. 14. Luc. 5. v. 27.

**PUNCTUM. I.** *Et cum transiret inde* ( id est à domo abiret, probabiliter extra urbem Capharnaum ad littus maris Galilææ, ubi navigia, & merces appellabant, uti colligitur ex S. Marco c. 2. v. 13. ) *vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum.* Matth. 9. v. 9. Hac consuetâ formulâ Christus ad suam Familiam vocatos sequi se jubet. Nunquam ergo satisfacies tuæ Vocationi, nisi Christum sequaris. Pudeat te, quòd homo ad telonium sedens, cognita Christi Sanctitate ex Miraculis Capharnai & alibi patratis, duobus verbis mox ad Christi Sequelam pertractus sit; & tu in Domo Religiosa per tot Meditationes, Sacras Lectiones, Adhortationes, Illustrationes, Beneficia Divina, Sociorum Exempla &c, ad Christi Sequelam invitatus, ab eo tam longè adhuc distes.

**PUNCT. II.** *Et factum est, discumbente eo in domo* ( scil. Matthæi, alio nomine Levi dicti, ut patet ex S. Luc. c. 5. v. 29. *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua* ) *ecce multi Publicani, & peccatores venientes, discumbebant cum JESU, & Discipulis ejus. Et videntes Pharisei* ( scil. intrantem in domum, quidque in ea factum esset, requirentes ) *dicebant Discipulis ejus: quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Hoc convivio & magno quidem, indicatur, Christum

à peccatore converso ad magnum convivium adhiberi. Dicit enim in Apoc. 3. v. 20. *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Quia namque Christus esurit, & sitit Iustitiam nostram (ut patet ex Joanne c. 4. v. 7. & 34. ubi Christus sitiebat Salutem Samaritanæ Mulieris, ac ejusdem, tanquam operis à Patre Cælesti sibi demandati, effectione veluti cibo reficiebatur) & quia peccator pœnitens esurit ac sitit Iustitiam suam; hinc si eam etiam operetur, Christus cœnat cum illo, & ille cum Christo. Hunc ergo semper Hospitem habeas, ut aliquando etiam te invitet ad Cœnam suam magnam. Luc. 14. v. 26. & ut gratum te exhibeas, non solum Convivium tibi multoties facienti, sed etiam facienti ex suo Corpore & Sanguine.

PUNCT. III. *At IESVS audiens* (sive ex Discipulis mox querelam deferentibus, sive ex ipsis Phariseis elatori voce murmurantibus, sive auditione mentali, quâ etiam cogitationes cordium vidit præcedenti Meditatione, scilicet visione mentali) *ait: Non est opus valentibus Medicus; sed malè habentibus. Euntes autem discite, quid est: Misericordiam volo, & non Sacrificium; non enim veni vocare Iustos, sed peccatores.* Primò ergo murmurationem, ac temerarium iudicium de actionibus aliorum disce cohibere, supplicando bonam illorum Intentionem, & justas causas quod Pharisei de Christo utique supponere debuerant. Deinde iterum patet, Christum non tantum esuriisse cibos sibi appositos, quàm Salutem convivorum. Hujus ergo continuo studio te pascendo pascere. Denique Christus manducando cum peccatoribus docere voluit, quomodo defectus aliorum

& illorum peccata benignè supportari à nobis debeant, & suavi Conversatione emendari.

## MEDITATIO CCXXXVIII.

*De Suscitatione filia Jairi.*

Matth. 9. v. 18. Marc. 5. v. 22. Lucæ. 8. v. 41.

**P**UNCTUM I. Vix Christus Pharisæis de manducatione cum peccatoribus se purgaverat, & adhuc iisdem ad aliam quæstionem per Discipulos Joannis propositam responderat, teste Matthæo: *Ecce Princeps unus accessit* (Jairus nomine, Princeps Synagogæ Capharnaënsis, sive unus de Archisynagogis, ut inquit Marcus, & Lucas) & adorabat eum dicens: *Domine, filia mea modò defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* Marcus c. 5. v. 23. ait, eum dixisse: *Filia mea in extremis est. Veni, impone manum super eam, ut salva sit, & vivat.* Is itaque suspicans, filiam suam, se iter faciente, probabiliter jam mortuam esse, utrumque dixit: nempe alterutrum sub disjunctione esse verum; & Fide, minùs quidem perfectâ, ac firmâ, credidit, solo attactu vitam vel sanitatem filiaë posse restitui; quamvis cum determinate à servis, revertenti occurrentibus, mortuam esse intellexit, cæperit dubitare. *Et surgens IESVS sequebatur eum, & Discipuli ejus.* Matth. v. 19. Cum autem servi mortuam nunciarent, teste Marco v. 36. ait Archisynagogo: *Noli timere, tantummodo crede.* Considera modum inæqualem agendi, quo Christus apud Joannem c. 4. v. 48. Regulum pro filio suo idem